

1979-03-19 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Cum Superioris Mensis’***EPISTULA IOANNIS PAULI PP. II IOSEPHO SLIPYJ,
EXACTO MILLENNIO AB INVECTA FIDE CHRISTIANA
IN REGIONEM «RUS»***

*Venerabili Fratri Nostro
Iosepho S.R.E. Cardinali Slipyj
Archiepiscopo Maiori Leopolitano Ucrainorum*

1. CUM SUPERIORIS MENSIS Novembris vicesimo die coram admissemus te, Venerabilis Frater Noster, aliosque simul Iegatos Hierarchiae Catholicae Ucrainae, ipse memoravisti appropinquantem iam terminum primi millennii ab invecta fide christiana in regionem “ Rus ”. Eodem praeterea tempore aperuistis Nobis consilium per annorum decem proximorum spatium rite praeparandi vos una cum omni Ecclesiae vestrae communitate ad maximum illum Iubilaeum. Inter varia autem celebrationis iubilare coepta eminebit sane peregrinatio magna quae in Terram Sanctam deducetur, ad ea videlicet loca ubi Redemptor Divinus haec quondam protulit verba: “Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti”. Propositum hoc, quod Episcopatus vester sic patefecit, Nos vehementer quidem permovit. Nam respicit eventa praeteritae ac recentioris aetatis quae cum toto coniunguntur opere evangelizationis in natione Ucraina cuius res gestae atque expertae Nobis potissimum cordi sunt et curae.

2. Indoles porro ipsa commemorationis huius, quae in memoriam rediget nominis christiani primordia in “ Rus ”, etiamnunc Nobis permittit ut uno velut animi conspectu quale millennium istud fuerit comprehendamus, Nosque pariter inducit medium in cursum ac motum eventuum qui cohaerent cum populi ac nationis historia in quibus Divinae Providentiae praesens cernitur manus: illius, inquam, Providentiae quae per tortuosos fortunae humanae flexus omnia ante disposuit et omnia item perducit eum ipsum ad finem qui plenius respondet Misericordiae suae decretis. Impulsu igitur fidei vivae nos acti confidere debemus Iustitiae Divinae, quae simul vero Misericordia est, atque huic eidem confidere Misericordiae in qua ostenditur ad extremum Iustitia. In ea profecto modum aequum suum reperiet non sola cuiusque hominis vita “ qui venit in mundum ”, sed etiam historia populorum ac nationum per quam Divina Providentia conscribit nostrum omnium singillatim historiam.

3. Mente proin ad dies illos revolvamur quibus Vladimirus Princeps Kioviensis cunctaque cum eo provincia “ Rus ” evangelium susceperunt Iesu Christi et baptismatis receperunt gratiam. Reapse arcanis rationibus providentissimus Deus faustum istum festivoque eventum iam praeparaverat inde a saeculi noni initiis, cum adulescens tantum civitas Kioviensis arcta cum Byzantio politica ac mercatoria contrahere vincula coepisset. Hae necessitudines initae cum Graecis – haud secus atque cum aliis vicinis populis slavici qui fidem christianam erant antea similiter amplexi – permultum contulerunt ad eandem religionem inter incolas “ Rus ” quoque efficaciter disseminandam. Primi scilicet conversi sunt milites – etsi rariores dumtaxat et singuli – Principis Inguari necnon mercatores qui externas cognoverant gentes. Accessit deinde Princeps Olga uxor Inguari quae mortuo viro in imperium successerat primaque ipsa ex domo regia nomen est christianum professa. Tum complures ex illius comitatu Boiari praebitum ab ea exemplum sequebantur. Ita quidem pervenitur ad annum nongentesimum duodenonagesimum quo Princeps Vladimirus memoratae Olgae nepos statuit christianam fidem proferre ad universos civitatis suae incolas, qui immo iussit coram se suaque familia et clero Graeco omnes habitatores capitis urbis publice et coniuncte baptizari in flumine Borysthene. Hoc itaque pacto incohavit ille fidei propagationem, primum intra sui principatus fines dein finitima per loca circum provinciam “ Rus ” ad orientem solem ac septentrionem vergentia. Recordatione ergo millennaria eiusdem historici eventus iamiam adventante oportet vel maxime laetari quod ea, quae ante Ascensionem suam Christus Dominus noster apostolis praeceperat, etiam intra regionem sanctam “ Rus ” feliciter sunt impleta. Oportet gratias pariter ex animo toto referre Deo Uni et Trino cuius nomine vestri sunt baptizati maiores.

4. Christiana fides de urbe Roma advenit in Kioviensem “ Rus ” per urbem ipsam Constantinopolim. Illinc enim profecti missionales Catholici evangelium secum primi importaverunt ad patres vestros quos simul expiaverunt lavacri salutaris fonte. Id vero tum videlicet factum est, cum Ecclesia in occidentali et orientali orbis parte suam conservabat unitatem, tametsi abunde hauriebat duabus ex diversis traditionibus ad duasque pertinebat diversas humanitatis culturas: unde insignes quidem profluebant Ecclesiae universalis divitiae. Solum undecimo saeculo intercessit divisio quae magnum dolorem attulit et acerbitatem tam istius temporis Christianis quam Christi assectatoribus sequentium aetatum ad nostros usque dies. Cum autem “ Rus ” Kioviensis – aucta iam fide christiana sibi inserta exeunte decimo post Christum saeculo – inveniretur ob suum geographicum situm in ambitu ipso autoritatis Ecclesiae orientalis, cuius veluti centrum erat Patriarchatus Constantinopolitanus, mirandum ideo non est quod susceptae plures viae redintegrandi perfractam unitatem saepius in eandem “ Rus ” confluerunt. In praesentia hic commemorare sufficit colloquutiones illius unitatis

causa habitas ad extremum saeculum decimum quartum necnon conatus factos – proh dolor! sine exitu felici – in Conciliis Constantiae et Basiliae ac denique in Florentino Concilio ubi Kioviensis Metropolitae Isidorus strenue promovit impetravitque adeo optatam Ecclesiae orientalis et occidentalis coniunctionem. Attamen, dimisso Concilio illo, constat Metropolitam eundem Isidorum, quem Summus Pontifex suum interea destinavisset Legatum “ a latere ” in Lituania, Livonia, Russia et ad Patris Cardinalis dignitatem evexisset quemque populus suus propter effectam Ecclesiarum iunctionem dilaudavisset, plura quidem passum esse ob studiosam suam navitatem oecumenicam, immo etiam in carcerem Moscuae detrusum indeque effugientem demum Romam advenisse unde omnem unitatis causam dirigeret. Sed graviores condiciones quae praevalebant ipsius in patria tandem fecerunt ut ad irritum redigerentur optimae unionis spes quae in Concilio illo Florentino propositae erant. Nihilominus cupiditas redeundi ad communionem cum Apostolica Sede numquam inter Episcopos Ruthenos evanuit qui scilicet mense Decembri MDXCIV et Iulio MDXCV declaraverunt paratos se esse ad iter unionis cum Roma ingrediendum ideoque legatos aliquot suos miserunt ut istud ipsum tractarent argumentum. Sic igitur flemma unitatis, quae a Metropolitae Isidoro accensa erat in Concilio Florentino quaeque ob validiora foris adiuncta plus centum quinquaginta annos relanguerat, denuo exarsit viamque aperuit ad unionem Brest-Litovsk de qua postmodum loquemur. Id utcumque est, facta et eventa haec omnia testificantur Ecclesiam numquam acquievisse in tristi statu diruptae unitatis suae eumque contra iudicavisse semper voluntati Christi Domini contrarium. Quantumvis magni aestimet Ecclesia planeque observet diversas traditiones ac differentias tum historiae tum culturae animi inter populos quos ipsa in se complectitur, aptiores tamen non cessat conquirere vias quibus unitas illa reparetur. Voces sacerdotalis preces Iesu: “Pater sancte, serva eos... ut sint unum”, tales fuerant quae numquam deinceps excidere possent memoriis discipulorum ac sectatorum Ipsius qui in pervigilio mortis suae in Cruce eas pronuntiaverat.

5. His porro ex fontibus et sedibus exorta est Ecclesiarum coniunctio quae anno MDXCVI apud Brest-Litovsk contigit. Ingreditur nimirum unio illa contextam historiam totum populorum; Rutheni et Lituani et Polonici, qui unico tunc in regno vivebant. Sed quamquam eadem communis historia ad praeteritum pertinet tempus, religiosa tamen ecclesialisque vis illius coagmentationis de Brest persistit etiam nunc et uberes fert fructus. Cuius quidem fecunditatis origo fuit ac sine dubio est ipse sanguis effusus a Sancto Iosaphat Episcopo et Martyre qui ita velut sigillo signavit difficile opus coniungendae Ecclesiae disiunctae inter decimum sextum ac decimum septimum saeculum. Praeterea fructus similiter peperit unio ista in tot episcoporum sacerdotumque vitis et aliorum fidei confessorum impavidorum ad haec usque tempora nostra. Antehac, quem ad modum et hodie, tribuit semper Sedes Apostolica momentum peculiare huic eidem unioni quae elucet in ipsa quoque differentia ritus Byzantini traditionisque ecclesialis, in lingua liturgica slavica, in ecclesiastico cantu cunctisque in pietatis formis quae tam alte inhaerent in vestri populi historia. Nam haec recludunt illius animum certoque quodam modo statuunt proprietatem ipsius necnon diversitatem simul. Istud exempli gratia comprobatur quoties filii ac filiae gentis Ucrainae, relicta propria civitate, manent semper etiam ut migratores consociati cum Ecclesia sua quae per traditionem et linguam et liturgiam suam ipsis restat quasi “ patria ” spiritalis alienis in nationibus. Facile profecto in his singulis rebus deprehenduntur qualitates propriae Crucis Christi quam humeris vestris, Fratres carissimi, tot ex vobis portavistis. Haec eadem Crux iam pars facta est etiam tua, Venerabilis Frater Noster, adeoque multorum in Episcopatu Fratrum tuorum qui dolores et iniurias pro Christo perferentes fidelitatem erga Crucem servaverunt ad postremum vitae spiritum. Quod idem dicendum est de plurimis aliis sacerdotibus et religiosis viris mulieribusque et laicis fidelibus vestrae Ecclesiae. Fidelitas proinde erga Crucem et Ecclesiam efficit peculiarem testificationem per quam Christifideles vestrae nationis hoc ipso tempore se comparant ad primum celebrandum millennium Christianae religionis in “ Rus ”.

6. Concilium Vaticanum Secundum rursus suscepit magnum oecumenismi opus. Studet quidem Ecclesia provehere Christianorum unitatem, novas scilicet dum temptat vias quae cum hominum nostrae aetatis mente magis congruunt. Idem vero propositum sibi pariter praestituerunt eodem tempore etiam aliae communitates Christianae inter quas reperiuntur Ecclesiae sui iuris seu “ autocephalae ” in orientali orbis parte. Istud monstrant plures declarationes, pronuntiationes delegationes; at in primis, precatio communis qua sociamur nos omnes ut Domini nostri impleamus voluntatem prece ipsius expressam: “Pater... ut sint unum”. Industria oecumenica dierum nostrorum, id est propensio illa ad mutuam appropinquationem et communionem – maxime inter Ecclesias orbis occidentalis et orientalis – non potest nec omittere nec minuere momentum et utilitatem singulorum conatuum restituendae unitatis Ecclesiae qui superioribus facti sunt saeculis quique felicem – etsi partim tantum – eventum habuerunt. Tamquam documentum huius veritatis habetur vestra Ecclesia inter ceteras catholicas Ecclesias orientales quae suum possident proprium ritum. Sine dubio germanus animus oecumenicus – secundum recentiore verbi significationem – ostendi ac probari debet peculiari observantia erga Ecclesiam vestram, sicut etiam erga reliquas orientalis orbis Ecclesias catholicas quae distinctos habent suos ritus. Permultum posthac exspectamus hac ipsa ex ratione ac testificatione animi oecumenici quam prae se ferent Fratres Nostri, Patriarchae et Episcopi, necnon Clerus totaque communitates Ecclesiarum Orthodoxarum ad quarum traditiones formulasque pietatis Ecclesia Catholica ac Sedes Apostolica spectant summa cum veneratione et aestimatione. Ceterum eadem necessitas proficiscitur ex libertatis religiosae principio quod constituit unam ex doctrinis praecipuis ipsius “ Declarationis Iurium Homini ” (Coetus Unitarum Nationum seu “ UNO ” a. MCMXLVIII) quodque reperitur in singularum Civitatum Constitutionibus. Vi illius principii, quod Apostolica Sedes saepenumero invocavit praedicavitque, licet cuique homini credenti propriam confiteri fidem ac participem esse illius

Ecclesiae communitatis ad quam pertinet. Observatio autem huius principii religiosae libertatis postulat ut vivendi agendique agnoscantur iura Ecclesiae ad quam singuli alicuius Civitatis incolae pertinent.

7. Appropinquante igitur sollemni commemoratione primi millennii religionis Christianae in “ Rus ”, amplissima communitas Catholicae Ecclesiae cupit vehementer vos, carissimi Fratres ac Sorores, benevola cogitatione et precatione et caritate amplecti. Nosmet ipsi – officio fungentes primi huius communitatis Servi – rogamus invitamus omnes, immo cunctum Dei Populum, ut idem faciant. Tali porro cum studiosa nuntiatione praeclarae recordationis anniversariae vestrae et cum fervida cohortatione ad religiose precandum convertimur ad universas Ecclesias et Communitates christianas quibuscum plena nondum fruimur communionem, sed quos omnes nos unicus Christus coniungit. Utinam cogitationes nostrae et mentes – Christum videlicet sequentes qui Apostolos misit suos “ usque ad extremum terrae ” – dirigantur nunc in regionem sanctam “ Rus ” quae mille abhinc annos evangelium suscepit baptismaque recepit! Enitatur animo repetere illius societatis Christianae historiam. Admirantes amantesque ingrediamur in ipsius spiritum: fidei, inquit, spiritum et precationis et constantis subiectionis Providentiae Divinae. Singulis iam in locis mente commoremur ubi Christus laudatur eiusque honoratur Mater. Denique, dum Salvatori nostro divino per ipsam Dei Matrem commendamus omnes istius baptismatis heredes quod “ Rus ” felix iam ante millennium recepit, vincula cum eis renovamus spiritalis coniunctionis atque communionis coram Illo qui est “ pater futuri saeculi ”.

Ex Aedibus Vaticanis, die 19 mensis Martii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PAULUS PP. II